

DE SACRI  
CONSISTORII  
CONSULTATIONIBVS  
GABRIELIS CARD.

• P A L A E O T I .



*Num.* ~~30.~~  
*Cap.* ~~9.~~  
*Num.* ~~2.~~



VENETIIS,  
Apud Minimam Societatem.

---

M D X C I I I .

DD. 6-15. 2.º del n.º

SACROS. R. E.  
CARDINALIVM  
COLLEGIO.



GABR. CARD. PALÆOTVS.



**A**GITVR annus prope trigesimus, cum diuina placuit bonitati, per Pont. Max. Sanctem. Pium IIII. in celeberrimum istum vniuersalis Ecclesie Senatum, & summum Consilium ex omnibus nationibus delectum, me licet meritis longe alijs inferiorem aggregare. Quod munus cum plane magnum, & multiplex, ac negotiorum, frequentia & grauitate cumulatum, in omnes partes Reipublice Christianae patere animaduertissem, supplex Patrem luminum rogavi, vt caelesti sua luce animum illustraret meum, atque vt eximiam Cardinalium illorum, qui tunc florebant, subindeq. per manus traditam, & ad vos quasi hereditario iure delatam prudentiam, imitari aliqua ex parte possem. Et quamuis peritissimorum Ducum mihi viam praemonstrantium, tum excellenti doctrina, tum rerum usu, in hoc arduo vocationis meae itinere, satis dirigi posse confiderem: tamen, cum inter caeteras muneris huius

DE SACRI  
CONSISTORII  
CONSULTATIONIBVS

PARS I. QVAEST. I.

De Consultationis necessitate in rebus priuatis.

**A** **P**ROSTVLAT instituti nostri ratio, vt cum de sacri Consistorij consultationibus simus tractaturi, ea in primis impedimenta submo-  
ueantur, in quæ Lectoris cogitatio in ipso limine posset offendere, addubitantis forte nos in minus necessario opere versari; cum hominum consultationes siue ad priuata, siue ad publica negotia pertineant, earum ex rerum

QVAEST.  
I.

genere esse censeantur, quæ arbitrariæ dicuntur, & quodam potius vsu, quàm certa necessitate institutæ. Vnde nos priusquam de rebus Consistorialibus, quod nobis principaliter propositum est, differere ingrediamur, nonnulla tum de priuatarum rerum, tum de publicarum consilijs persequenda esse duximus, vt certioribus gradibus ad Consistorialia perueniamus.

Posset igitur fortasse alicui in mentem venire minus esse necessarias de rebus priuatis consultationes; eo quod ius commune neminem cogit alios in rebus suis consulere, neminemve damnare sine consilio rem donantem, aut ementem, aut locantem, seu hereditatem adeuntem, aut de toto patrimonio suo testantem: immo paucis exceptis casibus, quibus tutores, curatores, seu administra-

**C**tores certis personis, ac rebus adiungi solent, reliquis non solum plenam facultatem rerum suarum gerendarum permitti, sed etiam eisdem indulgeri scimus, vt si quando libuerit aliquos in consilium adhibere, non tamen illud sequi teneantur, <sup>a</sup> cum regula sit consilia suaderi tantum, non imperari: <sup>b</sup> quod & in consilijs Euangelicis locum habet. <sup>c</sup> Et quamuis iure veteri prudentes viros institutos fuisse sciamus, qui cōsulentibus de iure respondebant, eorumque responsa auctoritatem obtinebant, non tamen quemquam ad illos consilij causa confugere coactum fuisse legimus. <sup>d</sup>

*a* l. 2. in s. mō-  
dā. & glo. c. cō-  
olim. de arbit.  
*b* cap. fin. 14.  
quāst. 1.  
*c* cap. integri-  
tas. 32. q. 1.  
*d* l. 2. de orig.  
iur. §. et quidē  
ex omnibus, &  
§. Et vt obiter.

A Sed